

unum adversus Dominum et adversus Christum ejus ; undique procellæ et ruinæ ; nec est ulla lex divina aut humana, quæ vim non sit passa ; desolatione desolata est terra quia non est qui recogitet corde.

Liceat nobis, filiis obsequentissimis, verba Domini Josue, filium Nun, alloquentis usurpare : “ Moyses
“ meus servus mortuus est ; surge et transi Jordanem
“ istum tu et omnis populus tecum... ero tecum, non di-
“ mittam nec derelinquam te... confortare et esto robus-
“ tus valde. Noli metuere et noli timere, quoniam te-
“ cum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcum-
“ que perrexeris.”

Portæ inferi non prævalebunt.... Inimicos crucis Christi irridebit et subsannabit Dominus qui habitat in cœlis.

Tot diversis luctus et consolationis, timoris ac spei motibus, quasi ferventis maris fluctibus, abrepti, ad Vestram Beatitudinem oculos convertimus, o Summe Pontifex, quem constituit Christus sibi Vicarium, Ecclesiæ indefectibile fundamentum et supremum Pastorem, ovibus patrem et infallibilem doctorem, catholici unitati immobile centrum, corpori suo mystico visibile caput. Licet vastissimo terræ marisque spatio sejuncti, cor unum tamen et animam unam habemus.

Quam quidem cum Romana et Apostolica Sede omni tempore tenuimus unitatem, eam semper vivam imo et de die in diem arctiorem esse volumus ; et propterea hodie nostri Concilii Quebecensis Sexti Acta et Decreta, quantulacumque sint, ad pedes Sanctitatis Vestræ revissenda et recognoscenda juxta sacros canones deponimus. Si quid in eis nimis asperum sit aut minus rectum, corrigatur ; si quid supra vires nostras, Apostolica manu